



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in  
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria  
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro  
potissimum occurrentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S.  
Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, &  
singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione  
praecedentibus duobus Tomis primum additus

**Chokier, Érasme de  
Coloniae Agr., 1684**

Ad Quæst. 42. Additio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61921](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61921)

## Ad Quæst. 42. Additio.

**A**D quem appellare debeant exempti? Nota quod sententiam D. Auctoris hoc loco numero secundo propositam confirmavit Sacra Congregatio: proposito enim dubio, an cum Episcopi procedunt uti Sedis Apostolicæ delegati in causis, quæ aliàs sub eorum iurisdictione ordinariâ non comprehenduntur, possit ad alium quàm ad Sedem Apostolicam appellari? Congregatio respondit non posse, uti in casu Concilii Trident. cap. 3. sessione 6. & cap. 4. sess. 14. cap. 9. sess. 21. retulit Fagnan. in cap. ad audientiam numero 47. de Eccles. adific. Ratio est, quia ubi Episcopi procedere non possunt nisi iure delegato, necessario erit appellandum ad delegantem. cap. super de offic. deleg. C. licet de offic. Ordin. Marian. Socin. conf. 83. num. 5. lib. 4.

## Ad Quæst. 47. Additio.

**C**apitula an iurisdictionem habeant in Capitulares? Negativa simpliciter verior est, loquendo de ordinaria iurisdictione per ea quæ notat Abb. in cap. cum causa numero 7. de off. deleg. & sequitur Auctor noster infra part. 5. cap. 71. At si de modica coercionem, vel de ordinatione eorum, quæ ad bonum Ecclesiæ regimen pertinent, etiam communi iure Capitula potestatem statuendi, & coercendi habere videntur, ut colligitur ex cap. cum omnes de consuet. cap. un. ne sed. vac. in 6. Felin. in d. cap. cum omnes. numero 9. & bene Suarez de legibus lib. 4. cap. 6. numero 11. & 12. Rota decis. 76. numer. 3. par. 7. & decis. 210. num. 9. par. 17. recent.

Consuetudine autem qualibet Capitula etiam Ecclesiarum Cathedralium acquirere possunt jus & potestatem corrigendi & puniendi excessus Capitularium. cap. irrefragabili, §. excessus ubi DD. de offic. Ordin. Etiam per distributionem corporalem & censuras. Rota decisione secunda de prescript. in novis & coram Mohedano decisione secunda de foro compet. Et excluso Episcopo qui solum in casu negligentie Capituli procedere poterit. d. capite irrefragabili, §. excessus de offic. Ordin. quæ tamen consuetudo excludendi Episcopum hodiernon prodest Capitulis, nisi ad hoc solum, ut Episcopus extra visitationem ad correctionem excessuum procedere volens, teneatur idipsum facere cum consilio